

riora, imo et ipsa lux solis non erit in hoc statu quo nunc, sed erit simpliciter major, ut dicitur Isai. xxx, in quo statu non est illa lux apta ad istas varietates efficiendas in hoc universo. Quare neque lux erat debita soli in ordine ad faciendum distinctionem diei, et noctis, et ut virtus influxiva est in hæc inferiora, antequam cælum haberet motum diurnum, et in aliquo instanti post motum habitum, et inceptum; neque determinata ratio istius virtutis ad faciendas temporum varietates in calore, frigore, siccitate, etc. erat debita soli, et astris antequam haberent motus proprios quibus præter motum diurnum moventur ab occasu in ortum, vel a meridie in septentrionem, et e contra, unde resultant varii aspectus, et congressus planetarum, vel digressus, et varie temperantur, et determinantur eorum virtutes ad influendum istam varietatem, et diversam alterationem temporum, et climatam. Et quia hos proprios motus acceperunt isto quarto die, ideo etiam determinari cœpit eorum virtus, et lux diversimode modificari ad diversos effectus, et varietates producendas, et præesse diei, et nocti, et esse in tempora, et dies, et annos. Et ratio hujus est, quia lux illa cœlestis, et virtus quæ cum luce convenit soli, est eminens, et virtualiter multiplex, sicut et ipsa corpora cœlestia valde superiora sunt, et perfecta super omnia hæc inferiora. Indiget ergo determinari, et modificari ad diversos effectus producendos, et varietates temporum faciendas. Positis autem his motibus diversis fit ista determinatio, et modificatio; et tunc lux illa omnem istam distinctionem, et varietatem facit, ergo nihil amplius requiritur. Nec oportet aliter assignare corporibus cœlestibus istas proprietates, et virtutes influxivas in hæc inferiora nisi suppo-

sito motu, et non ante, quia sine motu non sunt alterativa horum inferiorum: ergo totum illud fundamentum, et argumentum, quod essent sol, et astra sine propria passione si carerent aliqua virtute intrinseca ante quartam diem, cessat, et non habet vim, quia illa virtus sive intrinseca, et superaddita, sive non, non est debita soli, et astris nisi supposito motu proprio, et non ante, quia est virtus specialis, determinato modo influens in hæc inferiora, et sic non convenit soli nisi ut moto, et in statu influendi illa.

XI. Sed inquires duo: Primum, cur isti motus proprii cœlorum non statim a principio dati sunt illis, sed dilatatum est usque ad quartum diem, cum naturaliter exigant sic moveri, et sic influere in ista inferiora? Secundum, an illa determinata virtus, seu determinatio virtutis, quæ secundum D. Thomam collata est illis in hac quarta die quando dati sunt illis proprii motus, sit aliquid intrinsece receptum in sole, et astris, et per modum qualitatis, an aliquid aliud, vel solum sit ipsemet motus proprius solis, et planetarum?

XII. Respondetur ad primum non potuisse, nec debuisse proprios motus incipere in cœlo ante quartum diem, quia nullum agens, seu movens constituitur, nisi super debitam materiam, remota autem materia non debetur agenti motus super illam; et agenti universali non debetur universalis motus, et gubernatio, seu directio nisi respectu materiæ, universalis ejus motionis susceptivæ. Cælum autem habet pro materia, non solum elementa, sed etiam mixta, nec ipsi convenit immutare per suas influentias integrum elementum, quia hoc est reservatum auctori naturæ, et supremo artifice, qui ordinem universi posuit, et instituit. Primis autem tribus diebus nondum erat discoo-

perta terra in qua præcipuæ generationes mixtorum fiunt, et illis diebus oportebat ipsa integra elementa componere, distinguendo, et coordinando varios eorum situs, et dispositiones ad recipiendas cœlorum influentias. Ergo proprii motus cœlorum quibus in terram, et alia elementa, et in mixta influerent, nondum erant debiti cœlis, neque ipsis poterant competere, quia nec terra erat discooperata; nec alia elementa distincta, et disposita, neque mixta adhuc inceperant, aut in statu incipiendi erant.

XIII. Ad secundum dicitur, quod ex illis motibus et congressibus, aut oppositionibus resultat sine dubio aliqua impressio, vel motio intrinsece recepta in astro, vel planeta, ratione cujus modificatur aut determinatur, vel temperatur ejus virtus, aut determinatur ad aliquos speciales effectus, sicut alios effectus facit luna, in novilunio, et conjunctione ad solem, alios in plenilunio, et alios effectus facit Saturnus, vel Mars in aspectu Jovis, aut Veneris, vel in oppositione, in ista domo, vel in illa. Et ex istis motibus, aspectibus, et conjunctionibus lux unius alio modo emittit radios suos in alterum planetam, quam sub aliis aspectibus, et motibus. Talis autem radiorum emissio sic, vel sic facta physicum influxum habet in corpus a se irradiatum, ergo et aliquam impressionem, vel modificationem, seu effectum physicum in eo ponit, ergo aliquid intrinsecum, sicut cum luna solum dimidia parte irradiatur, aut integra, aut nulla. Et hunc effectum seu impressionem intrinsecam ex tali motione, et irradiatione imprimi, etiam Suarez admittit. Et quando D. Thomas dicit in hac quarta die accepisse solem, et planetas determinatam virtutem ad speciales effectus non dixit illam determinatam virtutem semel tunc esse acceptam, et

quasi habitualement qualitatem, aut potentiam esse ad illos speciales effectus. Non obligat littera D. Thomæ ad hanc intelligentiam, sed efficienter intelligitur, quod acceperunt determinatam virtutem, id est, determinationem, et modificationem virtutis ex propriis illis motibus, et diversis aspectibus provenientes juxta impressiones varias, quæ fiunt in his astris modo una, modo alia, omnes tamen sunt determinatio quædam virtutis, seu determinata virtus, qua illis reddebatur virtus determinata quæ de se erat eminens ad multa. Nec solum putandum est solem dare istam determinationem aliis astris cum illuminat illa, sed etiam solem in se determinatam virtutem participare quando aliis conjungitur, et modo est in signo arietis, modo leonis, modo libræ, etc. vel in domo istius, vel illius planetæ, sic enim diverso modo determinatur ad effectus diversos.

XIV. Sed adhuc remanet difficultas, quia supra quæstione lxxvii diximus, est que communis sententia, quod mundus incœpit in æquinoctio, ita quod primus dies quando Deus creavit cælum, et incœpit moveri, fuit dies æquinoctialis, ergo tunc fuit sol in primo gradu arietis, vel libræ, et sic congressus isti, et proprii motus planetarum, et astrorum non incœperunt quarto die, sed primo. Rursus si prima dies fuit æquinoctialis, secunda, et tertia non potuerunt etiam æquinoctiales esse, quia non possunt duo vel tres dies consequentes manere in eadem æqualitate, vel si manserunt, illi tres primi dies non potuerunt computari in illo primo anno mundi, sed annus debuit incipere a quarto die, inde enim incœpit sol moveri per zodiacum, et non ante, motus autem solis per zodiacum efficit annum non motus diurnus quotidianus. Respondetur fuisse quidem æquinoctialem

primum diem, ut dictum est, et solem creatum esse in illo primo puncto arietis, vel libræ, prout illud æquinoctium fuit, veris, vel autumnii. Sed tamen illum situm, et congressum cum signo arietis, vel libræ, non acquisivit sol suo proprio motu sicut nunc, quia istum motum incepit habere quarta die, sed habuit illum ex ipsa sua creatione, quia in aliquo situ, et positione debuit creari a Deo, et situs fuit ille, ubi æquinoctium fieret. Ad aliam partem argumenti dicimus necessario concedendum esse, quod tres primi dies fuerunt æquinoctiales, supposito quod proprii motus solis, et planetarum incepserunt quarta die quoad varietatem temporum, veris, æstatis, autumnii, etc. quia tunc primo facta sunt in tempora, dies, et annos. Inæqualitas autem noctium, et dierum fit ex ista varietate temporum, aut sine illa non fit. In illis ergo tribus diebus solum erat motus diurnus communis, non motus proprii planetarum, ex quibus illa inæqualitas dierum, et noctium provenit. Nec propterea tres illi dies primi expunguntur a calendario, et computatione primi anni, quia licet in illis non fuerit motus proprius solis per zodiacum, hoc tamen facile suppleri potuit per aliquam accelerationem motus proprii, ita quod revolutione anni fuit sol in primo gradu arietis, vel libræ ipso die correspondente primæ diei creationis; sicut quando tempore Josuæ dies facta est longior per hoc quod stetit sol, non fuit turbatus ordo cælorum illo anno, sed Deus supplevit acceleratione aliqua, id quod in illa quiete, et statione solis interruptum fuit.

XV. Ultimum quod supra proposuimus inquirendum in hoc opere quartæ diei est, quomodo verificentur omnia, quæ de luminariis dicuntur in hac die, et nos dicimus fieri ab illis per istos proprios motus,

quos in hac die acceperunt, et per quos determinatur, et applicatur eorum virtus ad determinatos speciales effectus. Respondetur luminaria in quatuor fines diei esse facta a Deo. Primo, ut dividant diem ac noctem. Secundo, ut sint in signa. Tertio, ut sint in tempora, et dies, et annos. Quarto, ut luceant in firmamento, et illuminent terram. Ad ista munera dicuntur hac die facta esse luminaria, unde non secundum substantiam, et secundum esse intelliguntur fieri hac die, sed secundum ista officia, et ad istos fines etiam inhærendo ipsi litteræ, quia non dicit: *Fiant*, simpliciter, sed: *Fiant ut dividant diem, ut luceant, ut sint in tempora, et dies, etc.*

XVI. Primus ergo finis, et munus est: *Ut dividant diem, ac noctem.* Non intelligitur de divisione diei, et noctis absolute, et præcise prout dies est lux, et nox tenebræ, et prout præcise divisio diei, et noctis fit per motum diurnum, sic enim illa divisio facta est prima die, et pertinet ad opus distinctionis, sed dies, et nox in præsentia, et divisio inter illas sumuntur pro die, et nocte cum aliquo ornatu, et additione, prout nox et dies sunt magis, vel minus breves, calidiores, vel frigidiores, nebulosæ, vel serenæ, hujus aut illius temperamenti; et uno verbo prout subsunt motibus planetarum propriis, et non solum motui diurno, ita quod nox sumitur non solum pro tenebris, sed etiam pro luce lunæ, stellarum, specialibusque illorum influentiis, et sic distinguitur a luce solis, et diei.

XVII. Secundus finis est: *Ut sint in signa.* Possunt intelligi planetæ, et astra esse in signa ad placitum respectu aliquorum eventuum quos non causant, vel esse signa naturalia respectu effectuum quos causant, et in quos influunt. Primo modo non constat esse signa, quia non constat

de tali impositione ad placitum. A quo enim facta est, a Deo, ab Angelo, vel ab homine? De impositione Dei nobis non constat, nec revelavit, nec scimus quænam illa sit, unde sine fundamento ponitur, non magis quam si aer, vel aqua dicantur imposita ad aliquid significandum. De impositione Angeli multo minus scitur, neque quod ad ipsum pertineat tales impositiones facere, nec posse, saltem respectu futurorum contingentium, aut eventuum liberorum, quæ in sua potestate non sunt. De impositione hominis esset plane ridiculum id dicere, quomodo enim potest homo imponere ad significationem diversorum eventuum planetas, et astra, nisi vane, et chimerice? Sunt ergo signa naturalia, non tamquam effectus significantes suas causas, cæli enim non habent causam sui nisi Deum, sed tamquam causæ significantes, et indicantes effectus suos. Unde non significant, nisi id in quod influunt, et consequenter non possunt significare eventus liberos, et quæcumque dependent a causa libera, et spirituali, et oppositum est superstitiosus error, damnatumque nuper est a Sixto v in quadam extravaganti; licet possint alterare corpora, unde possunt occasionari multæ passiones liberæ in animo, sed non infallibiliter et certo. Dicuntur ergo planetæ, et stellæ esse in signa quatenus suos effectus causant. Causant autem illos secundum diversos motus, et aspectus quos astra habent inter se, et sic fiunt diversæ constellationes, quæ cum sensibus deprehendantur, deserviunt ad significandum, et pronosticandura plures effectus, qui ab ipsis causantur, ut pluvias, tempestates, serenitates, etc. unde possunt homines sibi providere pro negotiis agriculturæ, navigationis, et medicinæ, ad quæ tria tantum astrologicæ prædictiones sunt permissæ.

XVIII. Tertius finis est: *Ut sint in tempora, et dies, et annos.* Intelligitur de temporibus, et annis secundum diversas eorum qualitates, ut pluviosa, serena, turbulenta, sterilia, abundantia, sana, ægra, et similia; sic enim vocantur bona vel mala tempora, dies mali vel boni, annus sterilis vel abundans, sanus vel pestilens, etc. Et sic non sumitur tempus pro sola mensura motus, sed pro qualitatibus temporum. Nec numerantur menses, quia isti magis videntur distincti ex beneplacito hominum dividendum annum per menses (unde et in diversis nationibus diversimode sunt divisi) quam secundum diversitatem temperamentorum anni.

XIX. Quartus finis est: *Ut luceant in firmamento cæli, et illuminent terram.* Et ad hoc dicuntur fuisse posita in firmamento, non quia ibi sint de novo creata, aut fixa quasi clavi, sed quia ibi de novo sunt applicata et determinata per motus, et aspectus suos, ut luceant in firmamento secundum diversos aspectus et constellationes quas faciunt, et illuminent terram secundum diversos et inæquales effectus, quos illa producant. Hæc autem illuminatio non est finis cujus gratia in astris, sed finis effectus ab illis. Pulchritudo autem, et varietas universi, et utilitas hominis sunt finis proximi cujus gratia, ultimus est gloria Dei, quam cæli enarrant.

XX. Solum restat difficultas, quomodo cæli, et luminaria sint causæ influxivæ in viventia, et vitam in eis causent et foveant nec tamen sint viventia. Respondetur luminaria in se non esse animata, seu viventia. Nam in primis carent vita sensitiva, et vegetativa, quia carent organis, et motu alterationis, sine quibus actus talis vitæ non exercetur. Solum posset dubitari de anima intellectiva, an illa informetur,

Sed tamen intellectiva vita cum in se spiritualis sit formaliter, non exercetur per corpus, neque per organa corporea, sed solum potest uniri corpori, ut deserviat ei tamquam instrumentum ad ministrandum species ex phantasmatis, et aliis sensibus haustas. Ad hoc autem oportet uniri animam intellectivam corpori habenti vitam sensitivam qua carent corpora cœlestia, quia carent organis sensuum. Quare solum potest forma intellectiva uniri cœlo ad movendum illud localiter. Ad hoc autem sufficit ut uniatur ei tamquam motor mobili, non ut forma materiæ. Et hoc modo unitur intelligentia cœlo, quia illud movet.

XXI. Potest tamen cœlum dupliciter eminere super viventia inferiora, et in ea influere. Primo inquam cum consideratur non in se solum, sed conjunctum suo motori qui est intelligentia, ratione cujus motus ejus redditur virtuosus, et superior ad viventia corporea, non quia intelligentia det qualitates vitæ, sed quia movet cœlum ut alteret, et qualitates imprimat necessarias ad vitam, quod sine tali motu non esset. Secundo, ratione formæ ipsius cœlestis, quæ est nobilior in quantum incorruptibilis et incorruptibili modo informans omni forma corruptibili, qua talis. Unde licet sit inferior vitalitate formæ viventis, est tamen superior modo informandi ejus, quia forma viventis informat modo corruptibili: et similiter est superior omni qualitate, et alteratione, sine qua non potest exerceri vitalitas sensitiva, vel vegetativa. In quantum ergo vita viventium, et vitales ejus motus dependent ab informatione, et unione formæ viventis, et ab alteratione qualitatum, quia sine ista et illa, vivens non subsistit, cœlum est superius, et influxivum in viventia, sicut homo ge-

nerat hominem non habendo influxum in animam, sed in materiæ unionem, et dispositiones, sine quibus non est homo.

### QUÆSTIO LXXI.

DE OPERE QUINTÆ DIEI.

#### TEXTUS.

*Dixit etiam Deus: Producant aquæ reptile animæ viventis, et volatile super terram sub firmamento cœli. Creavitque Deus cete grandia, et omnem animam viventem, atque motabilem, quam produxerunt aquæ secundum species suas, et omne volatile secundum genus suum.*

NOTANDA CIRCA HANC QUÆSTIONEM.

I. Post ornamenta cœlestium corporum in suis luminaribus quasi in facibus toto cœlo dispositis et accensis, sequitur ornatus superioris elementi, scilicet aquæ, et inferioris, scilicet aquæ, nam elementum ignis nullius ornamenti capax est, quia ob nimiam activitatem devoraret omnia ornamenta sua, et consumeret: præsertim cum ornamenta elementorum sint viventia, et mixta; nullum autem horum in igne diu durat. Imo nec in toto aere facta sunt viventia a Deo, sed notanter dictum est: *Volatile super terram sub firmamento cœli*, quia videlicet aves connaturaliter vivunt, et volant in hac infima aeris regione inter terram, et nubes quæ sunt in secunda aeris regione, et hæc vocatur firmamentum cœli. Si quando vero aves aliquæ volant super nubes, hoc erit ad tempus, et pro aliqua particulari occasione, non ut communiter,

et connaturaliter ibi volent, et vivant.

II. Circa generationem ergo viventium, quæ in hac quinta die facta sunt, scilicet aves, et pisces, tria occurrunt consideranda sicut in aliis operibus, scilicet causa efficiens a qua facta sunt; materia ex qua facta sunt, perfectio, seu status in quo creata sunt; et in qua quantitate, et qualitate. Et supponimus hæc viventia producta fuisse in actu hac die, et non solum in virtute, et potentia, sicut de herbis, et plantis dictum est, licet sententia Augustini quam habuit circa productionem plantarum, etiam procedat circa productionem avium, et piscium, et animalium, ut S. Thomas advertit in hac quæstione LXXI et LXXII. Sed tamen rationes quæ convincunt plantas esse productas in actu tertia die, etiam probant de productione animalium quinta et sexta die. Non enim solum dicitur quod dixit Deus producant aquæ volatile, et reptile, sed additur: *Quod creavit Deus cete grandia, et omnem animam viventem, atque motabilem; nec solum dicitur producat terra animam viventem, sed etiam additur: Et fecit Deus bestias terræ juxta species suas.* Nec solum dicitur Deum creasse cete grandia, et omnem animam motabilem, sed etiam quod benedixit eis, et dixit: *Crescite, et multiplicamini, et replete aquas maris.* Si autem Deus creavit pisces, et aves, si fecit bestias terræ, si benedixit eis, et dixit ut crescerent, et multiplicarentur, et additur semper: *Quod factum est ita* intra illam quintam diem, et intra illam sextam, quomodo potest intelligi quod in illa die non fuerint facta in actu, sed solum in potentia, ista viventia? Quid enim fecit Deus, et quid factum est, si non fecit res istas in actu, et ipsæ in actu factæ sunt? Et quid benedixit, et jussit ut

multiplicarentur, et crescerent, si nondum erant in actu pisces, et aves, quibus benediceret. Certe negari non potest hominem sexta die factum esse in actu, et non solum in potentia, cum dicatur quod Deus creavit illum in hac die, quod dederit ei omnem herbam, et lignum in escam, quod tulerit enim in paradysum, quod vocaverit Adam unumquodque animal secundum nomen suum, quod dormierit, quod ex ejus costa formata sit Eva. Omnia hæc quomodo possunt convenire homini in potentia, qui nondum est homo, sed homini vero, et vere existenti, ergo etiam alia animalia sunt in actu producta.

III. Hoc supposito dubium est circa causam efficientem a qua producti sunt pisces, et aves in hac die. Et dicimus a solo Deo, ut a causa efficiente esse productos, non tamen creatione ex nihilo, sed educatione ex materia, v. g. ex aqua quæ concurreret ad eam productionem materialiter, non efficienter. Ratio est, quia in nulla alia causa erat sufficiens virtus ad producendam tantam multitudinem piscium, et avium tam in substantia, quam in modo, ergo a solo Deo effective processerunt. Antecedens probatur, nam si consideremus productionem illorum quoad substantiam, facti sunt multi pisces, et aves quæ sunt animalia perfecta, nec possunt a solo cœlo, et multo minus a solo Angelo generari sine aliquo semine, quod tamen tunc nullo modo erat, si quidem semen hoc inditum est ipsis animalibus, sicut et plantis, et ab illis deciditur, et illis dictum est quod crescerent, et multiplicarentur, ergo ante ipsa animalia non erat in alio corpore semen, et virtus ad illa producenda. Angelus autem se solo non potest istas animalium generationes facere nisi applicando activa passivis; neque cœlum per-